

⁵Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod non ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam.

IV.—Recognosce mecum ⁶tandem ⁷noctem illam superiorem : ⁸jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. ⁹Dico te ¹⁰priore nocte venisse ¹¹inter falcarios—non agam obscure ¹²in M. Laecae domum : convenisse eodem ¹³complures ejusdem ¹⁴amentiae scelerisque socios. Num negare audes ? quid taces ? ¹⁵convincam, si negas : video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt. 9. O di immortales ! ¹ubinam gentium sumus ! quam rem publicam habemus ? in qua urbe vivimus ? ²Hic, hic sunt in nostro numero, ³patres conscripti, ⁴in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, ⁵qui de nostro omnium interitu, qui de hujus urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video et de re publica ⁶sententiam rogo, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce ⁷vulnero. Fuisti ⁸igitur apud Laecam illa nocte, Catilina ; ⁹distribuisti partes Italiae ; ¹⁰statuisti quo quemque proficisci placeret ; ¹¹delegisti quos Romae relinqueres, quos tecum educeres ; ¹²discripsisti urbis partes ad incendia ; confirmasti te ipsum jam esse exiturum ; dixisti ¹³paullulum tibi esse ¹⁴etiam tum morae, quod ego viverem. Reperti sunt ¹⁵duo equites Romani, ¹⁶qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo ¹⁷lectulo interfekturos esse pollicerentur. 10. Haec ego omnia, ¹vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi, domum meam majoribus praesidiis munivi atque firmavi, exclusi eos, quos tu ad me ²salutatum ³mane miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego jam multis ac summis viris ad me ⁴id temporis venturos praedixeram.

V.—II. ¹Quae cum ita sint, Catilina, ²perge quo coepisti, egredere aliquando ex urbe : patent portae : proficiscere.